



2417	III. S. I
2418	III. S. I
2419	III. S. I
2420	III. S. I
2421	III. S. I


9 73


391550 III



924

5866





4
12

Inter Illustres Magnificos *Wilcze-
wskie* Conjuges Succamerarios Sa-
cræ Regiæ Majestatis, & ex Palati-
natu Marienburgensi Deputatos
ad Tribunal Regni ex unâ,

& inter


*Prænobilem Magistratum Geda-
nensem parte ab altera*

Decretum 1763.

LUBLINI.

391598

III



Actum Lublini in Judiciis Ordinaris Generalibus Tribunalis Regni Feria tertiâ post Festum Sancti Francisci Confessoris proximâ Anno Domini 1763.



Judicium præfens ordinarium generale Tribunalis Regni Lublinense ad affectationem partis, cujus interest, Decretum infra scriptum inter partes inferius nominandas sub actu supra scripto prolatum ex Prothocollo Decretorum Judicij sui tenoris ejusmodi inter Illustræ Magnificæ Wilczewski Succamerarium Sacræ Regiæ Majestatis, ex Palatinatu Marieburgensi Judicem Deputatum, tum Illustræ Magnificæ Mariam Gertrudam de Wittert Wilczewska, Wilczewskie Conjuges, atque Generosum Zeleski, actores per eundem Generosum Zeleski suo, & supra factorum nomine personaliter, Judicium &c. Quoniam Prænobilis Magistratus novæ Civitatis Gedanensis, & alij causæ infra scriptæ complices sufficienter convicti, trinis infamiarum condemnationibus, videlicet primâ Sabatho postridie festi Sanctæ Agnetis Virginis & Marthyris, alterâ, feriâ quartâ, ipso die Cinerum in lucro ulterioris ultimâ, feriâ tertiâ post Dominicam Lætare quadragesimalem in lucro ultimariæ, anno præfenti, 1763. in Judicij Tribunalitij Regni Petricoviensis ex parte Illustrum & magnificorum Francisci, & Gertrudæ de Wittert Wilczewska & Wilczewski Succamerariorum Sacræ Regiæ Majestatis, & Judicum Deputatorum ad Tribunal Regni ex Palatinatu Marienburgensi Conjugum, & Generosi Casimiri Zeleski obtentis esse deducuntur.

Proinde Contumacia ejusdem Magistratus non attenda *inhærendo Constitutionibus Regni de Securitate Illustrum Magnificorum Deputatorum* anno 1667 & 1726. in causâ violentiarum forum Tribunale Regni Registrumq; terminorum, factorum, cum omnibus cujuscunq; statûs & conditionis personis præfigentibus,

Parti actoreæ videlicet Illustribus Magnif: Francisco Wilczewski Succamerario Sacræ Regiæ Majestatis, Judici ad Tribunal Regni ex Palatinatu Marienburgensi Deputato, & Gertrudæ de Wittert invicem Conjugibus, ac Generoso Casimiro Zeleski negotium inducere mandat, in inductione negotij resolvendo remissionem ab Officio executoriali ex fundo bonorum Pruska Karczma vocitatorum ad sui Judicium pro decisione factâ, teneri ante omnia partem actoream inquisitiones ex parte sui vigore Decreti Tribunalitij Judicij præfentis eductas reponere censet, idq; instantaneè.

Et quoniam pars actorea easdem inquisitiones Lublini coram Illustribus, magnificis iudicibus ex stuba judiciali delegatis eductas, & super incorruptorum testium per partem actoream comprobatas reposuit, satisfactione hoc in puncto adinventâ negotio introducto per suum iudicium exaudito ad legendas easdem inquisitiones accessit;

Quibus lectis maturâq; deliberatione discussis & ponderatis, siquidem tam ex ejusdem inquisitionibus, quam & ex præsumptuoso Magistratus Gedanensis Processu terminis, primo decimâ quartâ Julij, altero, vigesimâ tertiâ ejusdem, tertio deniq; septimâ Augusti anno præterito 1762, Illustri Magno Francisco Wilczewski Succamerario aulico Sacræ Regiæ Majestatis contra prærogativam legum publicarum hoc in passu sancitarum exportatis, atq; ex arroganti Decreto cotumali Vicepræsidis Gedanensis, nec non manifestatione ejusdem Magistratus Gedanensis per Agentem Joannem Jacobum Salamon coram actis civilibus Stumensibus die octava mensis Novembris anno præterito 1762. manifeste patet, Famatum Jacobum Ohl Textorem sericeum pro laboribus ejus, & quibusdam merces sericanas extractas ab Illustri Magnifico Wilczewski summam trecentorum unius floreni pruthenicorum præteridisse;

In vim cujus summæ Illustrem magnificum Wilczewski eidem textori centum florenos persolvissè, residuitatem vero ducentorum unius floreni proprio comportando Registro ac liquidatione eundem Illustrem Magnificum Wilczewski post nundinas Gedanenses Dominik dictas eidem textori solvi declarasse, hæcque declaratione eundem famatum Ohl textorem contentum fuisse, brevi tamen tempore, nescitur cujusnam fomentatione gressus suos ad Nobilem ac spectabilem Gabrielem Weichmann Vicepræsidentem cum quærimonio, acsi de sui injuria direxissè.

Huncque spectabilem Weichmann Vicepræsidentem non observatis legibus regni, actorem sequi forum rei disponentibus, quin imo vilipensis *Constitutionibus Thorunensibus annorum 1520, & 1538*, ac ipsamet Ordinatione Civitatis Gedanensis 1526, distinctisq; *Constitutionibus Civitatis Gedanensis præscriptis, & in Comitibus Varsaviensibus anno 1570 confirmatis. aliisque quàm plurimis & præsertim annorum 1633, 1654, & 1659 Constitutionibus spheram Jurisdictionis Civitatum, & præcipue majorum Prussiae clare & rigoroſe circumscribentibus, etiam distincto articulo, Officiales aulicos Sacræ Regiæ Majestatis à civitatum Jurisdictione eximentibus, solâ tantum modo arrogantiâ & absolutâ potestate Prædominationeq; quodam præsumpto actoratu in contemptum & despectum statûs eminentiæ Nobilitatis & Prærogativæ Illustrem Magnificum Wilczewski Succamerarium aulicum Sacræ Regiæ Majestatis [nomine, rebus gestis, possessione, ac meritis in Republica, terrisq; Prussiae à prædecessoribus suis distinctum] ad instantiam prædicti Jacobi Ohl respectu ejusdem præteridisse ducentorum unius floreni quotæ terminis supra annotatis typo expressis civibus tantum congruis per Bedellos suæ Civitatis exportatis ad iudicium suum Civile Vicepræsidentiale citari permisissè.*

Et cum eodem illegaliter & evocatione citato circa tuitionem Legum obtante, personaliterq; explicante, satisfactionem tamen tempore assignato declarante; Imminentibus autem Comitibus Electionis Illustrium Magnificorum Iudicum ad Tribunal Regni Deputatorum Stumam

nam pro eisdem Comitibus proficiscente, & eadem Comitibus Electionis suae, qua iudicis ad Tribunal Regni Deputati obeunte, Decretum solutionis ducentorum unius floreni, una cum poenaltate dicta strav Quadringenta florenorum per Jacobum Ohl praetensae contumaciale illegitime promulgasse.

Reduce quoque Illustri Magnifico Wilczewski moderno actore ex eisdem Comitibus Palatinatus Marienburgensis jam Iudicem ad Tribunal Regni Deputato electo, supra nominatum Nobilem ac spectabilem Gabrielem Weichmann pro tunc Vicepraesidem spectabilem Henricum Martinum Rittich sui Officii Vicepraesidentialis scribam ad supradictum Illustrum Magnificum Wilczewski Iudicem Deputatum, Residentiamque; Ejus cum Gratulatorio eminentis functionis Deputaticiae ad Tribunal Regni complemento, animo tamen exequendi sui Decreti contumacialis cum ejus denuntiatione seu potius publicatione supermississe.

Supermissum vero eo in primo passu de Legibus Regni & securitate tam Domuum nobilium, quam Illustrum Magnificorum Deputatorum ad Tribunal Regni contra invasores sancitis, tum etiam de illegalitate Processus evocatorij ab Illustri Magnifico Wilczewski informasse, satisfactionem instantaneam ducentorum unius floreni spectabili Ohl pertinentem declarasse, nunquam tamen Decreto Vicepraesidentiali, & poenaltati ejus subesse spondisse.

Nobilem vero & spectabilem Weichmann his omnibus calcatis eundem suum scribam cum quinque Bedellis civitatensibus de forti finali & indilatata supradicti ejus Decreti sui Contumacialis executione admonitis, & obstrictis, iterum ad praerecensitum Illustrum Magnificum Wilczewski residentiamque; ejus delegasse.

Hosque delegatos impertinentissime sine omni discretione & respectu, imo magis violenter instantaneam Decreto Vicepraesidentiali satisfactionem propalasse servatoria in conclavibus existentia exstringere & res sequestrare voluisse, verbis calumniosis Illustrum Magnificum Wilczewski Iudicem deputatum affectisse, ex his rationibus Illustrum Magnificum Wilczewski ad impetum & defensionem sui commovisse, in eoque defensione supermissum Rytich & Bedellos de Residentia Illustris Magnifici Wilczewski repulso esse.

His subsecutis eundem Gabrielem Weichmann Vicepraesidem sumptu de ineffectuata executione notitia maiore accrescentiae iracundiae una cum mentionato Rytich sui scribam ad Nobiles & spectabiles Praesidem Proconsules, Consules, totumque Magistratum ad conspirandum in aggravationem Illustrum Magnificorum Wilczewskich Conjugum se se contulisse, hosque omnes una Sufflatos arrogantiam Praerogativam Nobilitatis, autoritatisque; Illustrum magnificorum iudicum Deputatorum Legesque; Regni contemptu ad unum facile colimasse, initoque mutuo detestabili Consilio & praecedente assensu totius Magistratus spectabilem Patzer militiae suae Gedanensis praefectum una cum quinquaginta militibus armis instructis ad violentam super invasionem Residentiae Illustrum Magnificorum Wilczewskich disposuisse.

Eundem vero Patzer Praefectum cum additis sibi praefatis militibus execrandum Magistratus Gedanensis Consilium, & licentiosum ejus

prosequendo mandatum Residentiam Illustrium Magnificorum Wilczewkich circumdedisse, imprimis adscitos milites portas Ballastrias circa Residentiam Illustrium Magnificorum Wilczewkich obducentes vi frangere conatos esse, tamen in eo praesumpto frustratos successu [cum ad mala peragenda saepe pessima non desunt Consilia] praedictum Patzer praefectum per fenestram Benevolentiam & beneficia ab Illustri Magnifico Wilczewski sibi praestita propalasse, erga Personam Illustris Magnifici Wilczewski addictissimum a corde amicum clarificasse, ac in verbo heroico & caractere honesto nullam Illustri Magnifico Wilczewski eveniri violentiam aut injuriam, imo omnem observantiam & respectum spondisse, ut solus in Lapideam Residentialem conferendi gratiam immittatur expostulasse.

Illustrem vero Magnificum Wilczewski sponcioni heroicae confisum, & nihil sibi mali eveniri sperantem eundem solummet Patzer Praefectum in Residentiam, & conclave sui immitti permisisse, eundemque primo remonstrationibus praesumptionis & pertinaciae Magistratus, ex ea; eveniendi cujuspiam mali, quotas supra recensitas primam ducentorum unius alteram quadraginta florenorum in vim poenalitatis ab Illustri Magnifico Wilczewski emunxisse, & ad se recipisse. Sic que stantibus rebus sopito totaliter negotio Illustrem Magnificum Wilczewski fores referari jussisse.

Sed modo magis excrescente dissolutorum licentia hunc ipsum accordatum Patzer militiae praefectum Illustrem Magnificum Wilczewski repentinè a tergo proripuisse, moxq; accursum militum ad accipiendum acclamasse.

Illustrem Magnificum Wilczewski se se salvantem in defensionem sui sclopetum arripuisse, infelicem tamen evitando casum hoc idem a se rejecisse.

Praedictos quoq; Praefectum & milites super personam Illustrium Magnificorum Wilczewkich ore & manibus omni omisso respectu & humanitate sed magna impertinentia sevilisse.

Illustrem Magnificam Wilczewska praegnantem graviter protrussisse, personas distinctas ad prandium invitatas pro tunc praesentes conturbasse, aliasq; repudiasse, Illustrem Magnificum Wilczewski judicem deputatum captivum de Residentia ejus omni vi exturbatum, ipsis meridianis horis per plateas in spectaculum adstantium & transeuntium hominum opprobriorum, vero & despectuum status Nobilitaris suaeq; protervae jurisdictionis praesupinam jactantiam detecto capite violenter & tumultuatum circa concussionem, vociferationes calumniosas & scommaticas ad carceres criminalistarum Katz dictas traduxisse & intrusisse, ibidemq; pro custodia militem cum evaginato Gladio addidisse.

His omnibus non contentum Magistratum Gedanensem, iterato ad Residentiam Illustrium Magnificorum Wilczewkich, ipsamq; Illustrem Magnificam Wilczewska consortem eosdem Patzer & milites armatos supermississe, supermissos furiose super omnia conclavia Residentiae Illustrium Magnificorum Wilczewkich vagasse & exorbitasse, ad Illustrem Magnificam Wilczewska pro tunc debilem ex eademq; nefanda historia in lecto aegritudinis decumbentem furibunde advenisse, personas distinctas pro tunc ad has Violentias concurrentes verbis duris &

varijs

varijs impertinentijs, tum Illustrem Magnificam Wilczewka furibundis repetitis vicibus disturbasse, ab eademq; mille florenos pruthenicales in vim ac si subalternæ pœnalitatis & de carceribus Illustri Magnifici Mariti exemptionis extorsisse.

Et eidem tam perprimitivas quam subalternas Violentias periculum Abortus & mortis ac causam prætempestivi partus tam inquisitionibus quàm litteris testimonialibus Georgii Ernesti Remus Doctoris Medicinæ Civitatis Gedanensis morbo huic pro tunc præsentis & assistentis fideliter datis probasse & quasi modo ipso facto abortum causasse, morbum per duodecim septimanas cum periculo vitæ contribuisset.

His omnibus peractis Illustrem Magnificum Wilczewski Judicem Deputatum spatio quatuor horarum in carceribus detentum extitisse, post verò ad spectabilem Weychmann Vicepræsidentem convocasse, & conduxisse, ex eadem indigna actione spectabilem Joachimum Weychmann Secretarium Magistratus Gedanensis collaudasse, Illustrem Magnificum Wilczewski varijs in locis in honore læsisse, prærogativam nobilitarem Polonorum & Illustrium Magnificorum Deputatorum postposuisse, non nullis nobilibus Officialibus & Dignitarijs [contentionum serendo sisaniam] minatum esse;

Ad hæc post manifestationem per Illustrem Magnificum Wilczewski Judicem Deputatum de sui & totius Tribunalis Regni injuriâ officiose factam, eundem Magistratum Gedanensem & Remanifestatione suâ coram actis civilibus *die 8. mensis Novembris 1762.* anno per sui Agentem Jacobum Salamon facta expressionibus læsivis & illicitis, cumque derogatione competentis tituli adimpletâ, honorem ejusdem Illustri Magnifici Wilczewski tetigisse, atq; post editas respectu præmissorum attentatorum per eundem Illustrem Magnificum Wilczewski ad Judicia Tribunalitia Regni Petricoviensis mente legis & præcipue Constitutionum *annorum 1659 Titulo de vindicandis Injurijs, & 1667 titulo securitatis declaratio, ac anno 1736.* Citationes ad Judicia Tribunalitia Regni postposuisse, mandatum post curiale assessoriale contra prædictum Illustrem Magnificum Wilczewski Judicem Deputatum ullatenus ex Lege ad Forum & Jurisdictionem post curialem in talibus non pertinentem Evocatorium procurasse, & idem non ad possessionem illustris Magnifici Wilczewski, sed ad lapideam Conventus Peplinensis Residentiamq; ejus sine ministeriali exportari jussisse, Foro & jurisdictioni Tribunalitio præsumptuose & arroganter renuntiasse, contumacialiterq; se in ibidem ad ultimarium juris gradum prout & ad præsens se stitisse; Quinimo ad oppositionem Rescriptum à Sacra Regia Majestate suum ad Judicium Petricoviense inhibitoriale contra specificam mentem Legis procurasse, & post trinas infamiarum pœnas in eodem Judicio Tribunalitio Regni Petricoviensis ex parte & instantiâ Illustrium Magnificorum Wilczewskich actorum super eodem Magistratu Gedanensi & ejus Complicibus, Decretumq; executionis in ordine faciendæ, ad suum Judicium pro finali decisione Remissionis ad bona seu villam Pruska Karczma subsecutam. Eundem Magistratum ad impediendum & non admittendum actum subsequendæ executionis centum milites suos Gedanenses cum tormentis ad eadem bona expeditivisse, eosdemq; in ibidem per aliquot tempus conservasse, itinerantes homines in vijs publicis circa eadem

bona per eosdem milites impeditos fuisse, post modum eosdem milites de prædictis bonis Gedanum revocasse, subditos tamen eorundem bonorum Pruska Karczma de forti impugnantione actus executionis, attestante etiam ipso actu executionis, per Officium Castrense Palatinatus Pomeraniæ Burgrabiale pridie festi Sancti Adalberti Episcopi & Martyris annò currenti cum Remissione causæ suam ad Judicium in fundo eorundem bonorum expedito instruxisse, & serio admonuisse.

Hisq; omnibus nefandis per Magistratum Gedanensem peractis tranquillitatem publicam, securitatem domuum, personarum, honorum, & præsertim emeriti status nobilitaris, nec non Illustrium Magnificorum Judicum ad Tribunal Regni Deputatorum, actuum Officiosorum Legibus provisorum, ipsaq; Leges Regni Sacrosancte observari debitas violasse, Juris, ac Jurisdictionis supremæ Tribunalitiæ rebelles extitisse.

Proinde Judicium supremæ potestatis Tribunalitium succurrendo Legibus Regni taliter per Nobilem ac spectabilem Magistratum Gedanensem vilipensis & violatis, ne tanti ausus & nequissimi excessus in sequelam cedant imo exemplaris poena delinquentium sit metus in omnes reconciliando *convulsas Leges Regni de securitate personarum, domuum, status nobilitaris, Regiorum aulicorum Officialium, actuum Officiosorum, & potissimum Illustrium Magnificorum Judicum ad Tribunal Regni Deputatorum sancitas.*

Pro ejusmodi attentatis licet si eundem Gottlibum Gabrielem Weychmann Proconsulem pro tunc Vicepræsidentem modo Præsidentem Civitatis Gedanensis omnium malorum primò moventem ad Regimen ineptum Pacem internam & securitatem publicam perturbantem per ministrum justitiæ capitè plectendum debuerat esse, Judicium tamen ad mitiora condescendendo, ut enim [cùm non valeant mortui] viventes ad extremum suspirium sua lugaant delicta, dentq; testimonia posteris, & doceant Jura ac Leges Regni observari, tam eundem Weychmann, quam alios inquisitionibus redargutos ex clementiâ Judicii sui poena mortis condonandos declarat, non nisi in vim ejus poenæ mortis super eodem & toto Magistratu novæ Civitatis Gedanensis poenas personales, & cruminales super quolibet delinquente & pro cujuslibet qualitate delicti infra extentendas sententiat, imprimis:

Gottlibem Gabrielem Weychmann nunc Præsidentem, ante hac Vicepræsidentem novæ Civitatis Gedanensis uti omnium inconvenientiarum, violentiarum, tumultuum, in tempestivi partus, infelicis morbi Illustris Magnificæ Wilczewska Deputatiæ Marienburgensis promotorem Jurisdictionis Vicepræsidentalis super Nobili Deputato Tribunalitio, Succamerario Sacræ Regiæ Mæjestatis usurpatorem ab Officijs Proconsulatus & Præsidis Gedanensis ex nunc removibilem sententiat, & pro incapaci ad omnes Functiones Civitatis Gedanensis, aliasq; prærogativas quasvis declarat; Nihilominus Vicepræsidentem Weychmann redimendo Caput Turrim Castris Scharszewiensis in Fundo in sex ab actu præsentis septimæ Decreti ingrediatur, ejusq; Sessionem per unum annum & sex septimanas continuet, & expleat, nec non in egressu de turri quinque millia Marcarum Polonicalium parti actoreæ, Judicio verò suo per medium in instanti solvat.

Hen-

Henricus verò Rytlich scriba Vicepræsidis pro tunc conspirator ad omnes infelices progressus circa executionem Illustris Magnifici Wilczewski superius adnotatos per tres, in quibus Foralia exequantur per Magistratum destinandos in foro magno novæ Civitatis Gedanensis tabulam pœnæ receptæ his verbis Germanicè, Polonicè, magnis Literis scriptam, videlicet [Causa violentiæ sum Ego] tenens tribus horis persistat, & ab Officio degradetur, Carceresq; prætorianos in eodem termino quo supra ingrediatur, eisdemq; per dimidium anni continuet, & expleat, in egressu de carceribus duo millia marcarum Polonicalium parti actoreæ, Judicio per medium in instanti solvat.

Joannem autem Patzer militum Gedanensem præfectum à Magistratu ad Residentiam Illustris Magnifici Wilczewski pro executione missum post satisfactionem & ad manus sui receptionem summam unius ducentorum, alterius quadraginta florenorum pruthenicalium per Illustris Magnificum Wilczewski enumeratarum, in eadem Residentiâ Illustris Magnificorum Wilczewskich sine minimâ ratione per eundem Præfectum non attentis quibus vis militaribus regulis [& nunquam credendum talia barbarica Magistratus Gedanensis habere mandata] fraude & violentia à tergo Illustris Magnifici Wilczewski Judicis Deputati arreptionis, militum ad Succursum plurimarum violentiarum acclamationis, Illustris Magnificæ Wilczewskie Deputatissæ Marienburgensis pro tunc prægnantis protrusionis aliarumq; personarum distinctarum pro tunc præsentium conturbationis & repudiationis, pro militibus ut arripiant Illustris Magnificum actorem acclamationis, ad carceres ejusdem Illustris Magnifici actoris intrusionis, ab Illustris Magnificâ Wilczewskâ in vim exemptionis à carceribus Illustris Magnifici mariti summæ mille florenorû Pruthenicalium emurtionis, militum pro executione ordinationis, Illustris Magnificæ consortis actoris pro tunc prægnantis, & post primas violentias decumbentis oblitâ omni humanitate barbariter disturbance, eidemq; non solum periculum mortis, verum etiam prætempestivi partûs, tum magni & infelicitis morbi causationis, eundem prædictum Joannem Patzer præfectum militum Gedanensem de Officio ejus militari deponibilem, & penitus cassabilem, capiteq; plectendum sententiat & decernit. Quatenus eundem ad subeundas pœnas & subsequendam executionem criminalem Magistratus Gedanensis cum suis tribus ordinibus in sex ab actu præsentis decreti septimanis ad Officium Castrensè Scharfzeviense statuat sub rigore pœna Infamiæ tam super Magistratu quàm super eodem Patzer in eodem Officio extendendo, Officium vero Castrensè Scharfzeviense pro eodem termino in ordine executionis prævijs solennitatibus subsequendæ etiam extra cadentiam terminorum quærelarum condescendat,

Textor vero sericeus Jacobus Ohl primarum inconvenientiarum fons & origo prætensionem suam coram Vicepræside arroganter promovens, nullo modo solutionem acceptare volens, nisi per decretum Vicepræsidiæ adjudicata fuerit; Pro tali ejusdem pertinaciâ carceres prætorianos Gedanenses in sex ab actu præsentis decreti septimanis ingrediatur, eorumq; sessionem per sex septimanas continuet & expleat; in egressuq; e carceribus pœnam quatuor millia marcarum Polonicalium parti actoreæ, Judicio suo per medium sub rigore infra scripto solvat.

Nec non Nobilis ac spectabilis Joachimus Weychmann Secretarius

pro postpositione Statûs nobilitaris, & Illustrium Magnificorum Deputatorum Judicum Regni, irrisioneq; ex iisdem eosdem carceres pretorianos Gedaneases in eodem termino, quo supra ingrediatur, eorumq; sessionem per sex septimanas continuet & expleat. In egressu verò de carceribus 5. millia marcarum Polonicalium parti actoreæ, Judicio verò suo per medium sub rigore infra scripto solvat.

Quantum attinet pœnas ex demerito supra scripto inquisitionibus contra totum Magistratum novæ Civitatis Gedanensis deducto Legibus Regni & Justitiæ satisfaciendo. Licet si exinde criminales promeruerit pœnas, Judicium tamen cum eodem Magistratu paternè procedendo, non nisi crumenalibus pœnis subesse declarat.

Quatenus non solum Prænobilis ac spectabilis Weychmann ante hac Vicepræses, verum etiam totus Magistratus novæ Civitatis Gedanensis pro arrantiâ absolutâq; potestate ac prædominatione alijsq; demeritis in personis Illustrium Magnificorum Wilczewskich Judicum ad Tribunal Regni ex Palatinatu Marienburgensi Deputatorum peractis, videlicet *pro usurpatâ Jurisdictione civili contra Nobilem Constitutionibus Regni annorum 1520, 1526, 1538, 1654, & inferioribus, ac Statuto Thorunensi vetita & penitus abrogata*, per Magistratum verò Gedanensẽ illicite sibi appropriata duo millia marcarum Polonicaliũ parti actoreæ, Judicio suo per medium. Pro transmissis per Bedellos Illustri Magnifico Wilczewski non solum Nobili verũ Officiali Regio ac Deputato ad Residentiam citationibus, mille marcas Polonicales parti, Judicio per medium. Pro Decreto Contumaciali super eodem prolato mille marcas Polonicales. Pro delegacione Scribæ Rytlich dicti cum decreto Vicepræsiduali non attendita, magis postpositâ Functione Deputaticâ mille marcas Polonicales parti, Judicio per medium. Pro iteratâ delegacione ejusdem scribæ cum quinque Bedellis, Stimulationeq; ad satisfactionem per actorem non denegatam duo millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro resolutione seu dispositione totius Magistratûs ad perficiendam iteratam executionem tria millia marcarũ Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro immisis Scribæ Rytlich Præfecto Patzer & quinquaginta militibus ad exequendum Illustrẽ Magnificum Wilczewski qua Nobilem, qua Officialẽ Regium atq; Deputatum Tribunalitium mille marcas Polonicales parti actoreæ, Judicio per medium. Pro oppugnatione Domûs seu Residentiæ nobilis, & effractione forium violenta per milites perpetrata sex millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro coactione violentâ ad solutionem quadraginta florenorum dictorum Straf duo millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro arreptione à tergo Illustris Magnifici Wilczewski quatuor millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro ineptis insultibus Illustris actoris consorti circa violentam invasionem attentatis tria millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro eductione de Residentiâ Illustris Magnifici actoris ad carceres per plateas adductione & intrusione quatuor millia marcarum Polonicalium parti, Judicio verò per medium. Pro incarcerationẽ ejusdem quatuor millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro additis militibus ad carceres cum evaginatis gladijs penes actorem pro Custodia ut non aufugiat adstantibus duo millia marcarum polonicealium parti, Judicio per medium. Pro iteratâ missione ejusdem Patzer, & invasionẽ Residentiæ Illustris actoris pro
tunc

tunc jam in carceribus sedentis tria milia marcarum polonicalium parti, Judicio per medium. Pro detractiōe varijs impertinentijs Illustris Magnificæ Wilczewka pro tunc prægnantis, læsione hospitem tria millia marcarum polonicalium parti, Judicio per medium. Pro acceleratione in tempestivi partûs Illustris Magnificæ Wilczewka ex occasione patrarum violentiarum delicato sexui muliebri nocivarum subsecuti septem millia marcarum Polonicalium parti Judicio per medium. Pro circumscriptione Læsivâ actoris coram actis civilibus Stumensibus cum derogatione tituli Functioni Deputatiæ competentis subsecutâ, varijsq; honorem læsivis expressiōibus adimpletâ duo millia marcarum polonicaliû parti, Judicio per medium. Pro exportatione mandati postcurialis Sacræ Regiæ Majestatis in causâ ad forum præfens competenti mille marcas Polonicales parti, Judicio per medium. Pro evocatione ad Judicia Assessorialia mille marcas Polonicales parti, Judicio per medium. *Pro vilipensione Jurisdictionis Tribunalitiæ Regni in causis facti violentiarum & securitatis juxta Constitutiones Regni annorum 1611, 1613, 1659, 1726, & alias* competentis duo millia marcarum Polonicalium parti, Judicio per medium. Pro procuratiōe Rescripti à Sacrà Regiâ Majestate sistendo disjudicationem præsentis causæ contra expressam Legem inhibitorali duo millia marcarum parti, Judicio per medium. Pro abusu militum in oppressiōem Statûs nobilitaris oppugnationisq; actorum Officiorum, varijsq; amunicijs bellicis adjudicandum conservatorum tria millia marcarum Polonicalium.

Omnes suprascriptas marcas pro quolibet delicto distinctim adjudicatas, nec non in sublationem trinarum infamiarum ex parte ejusdem Illustris Magnifici Wilczewki suo in Judicio pro tunc Petricoviensi super eodem Magistratû obtentarû supra de actu specificatarum, pro quolibet condemnatione per vadium simplex parti, Judicio per medium idem Magistratus Gedanensis, & quidem Illustri Magnifico Wilczewki hinc & pro Feriâ secundâ post Festum Immaculatae Conceptionis Beatissimæ Virginis Mariæ anno præsentis proxime incidenti coram actis castrensibus Skarszewiensibus sub rigore infra scripto Judicio verò suo in instanti sub poenâ Banitionis ex Registro poenaliū publicanda solvat. Nihil ominis pro litis expensis in causâ præsentis per acta errogatis, atq; rebus mobilibus circa violentam invasionem Residentiæ interceptis, varijsq; damnis ad mentem Legis, præcipue Juris correcti terrarum, & civitatum Prussiæ legitime prætensis ad summam triginta sex millium florenorum Pruthenicalium præciso Juramento ex moderamine Judicij sui ad inventum reductis, summam præmissam triginta sex millium florenorum Pruthenicalium pro eodem termino coram iisdem actis supra scriptis sub rigore infra scripto idem Magistratus Gedanensis eidem Illustri Magnifico Wilczewski solvat.

Jam verò Illustris Magnificus Wilczewski intercedendo eundem Magistratum Gedanensem marcas pro parte Judicij adjudicatas suo Judicio in instanti solvat.

Et quoniam verò Illustris Magnificus Wilczewski intercedendo eundem Magistratum Gedanensem, ac alios supra scriptos citatos, marcas à Magistratu Judicio suo solvi debitas pro re Judicij ejusdem persolvit, proinde idem Magistratus easdem marcas pro parte Judicij adjudicatas omnes Illustri Magnifico Wilczewski pro eodem termino coram iisdem actis supra scriptis sub rigore infra scripto solvat.

Ut autem plenaria satisfactio prærogativæ nobilitari, & auctoritati Judicialiæ subsequatur, decernit Judicium: Quatenus idem Magistratus novæ Civitatis Gedanensis per duas Personas Consules ex suo Consilio delegatos Pallijs, Lineis consiliorum ornatos ad Residentiam Illustrium Magnificorum Wilczewskich superveniendo, in præsentia quorumvis amicorum & hospitem præviâ de die & horâ tempestivâ avisatione iisdem Illustribus Magnificis Wilczewskim in spatio duodecim septimanarum ab actu præsentis numerando publicam & solennem faciat deprecationem, summamq; mille quadraginta florenorum Pruthenicalium injuste extorsam, tum sclopeta per Patzer accepta eidem Illustri Magnifico Wilczewski restituat, idq; sub rigore infra scripto coram iisdem actis post expletum spatium in triduo extendendo.

Nihil ominus idem Magistratus Gedanensis ab omnibus insidiosis violentijs tum contra præfatos Illustres Magnificos Wilczewskich Familiâ, res merces, & mobilia eorum, quàm quosvis Nobiles ad mentem Legum supra scriptarum, attentatisq; modo quo supra repræhensis usurpato super Nobili Jurisdictione desistat, Legibus Regni, & sibi concessis non abutatur, Ordinationibus Regijs, & Constitutionibus publicis omni modo pareat, Justitiam pacem, & tranquillitatem publicam conservet, Judicium sub pænis contra convulsos Legum sancitis serio admonet, & mandat. Facturi sunt præmissa omnia & singula tam in satisfactione pœnarum cruminalium, quàm in executione criminalium & personalium Prænobilis ac spectabilis Magistratus Gedanensis cum tribus ordinibus prædictæ Civitatis per se & personas in decretum præsens intrantes sub pœnis distinctis infamiarum super quolibet contraveniente in terminis suis supra expressis distinctim tam quoad sessionem turre, carcerum, Statutionis spectabilis Patzer præsumendis ex eo pænis superscriptis, quàm solutione marcarum vadiorum summarum supra scriptarum pro re Illustris Magnifici Wilczewski adjudicatarum coram Officio & actis Castrensibus Scharfzewiensibus Palatinatus Pomeraniæ.

In casu contra venientionis circa seorsivas Manifestationes contra præfatum Magistratum, omnesq; tres ordines Civitatis Gedanensis & personas supra specificatas in distinctis Cathgorijs faciendis publicandas, post quarum pœnarum infamiarum in causâ præsentis Decreto contravenientes, subsequendas publicationes ad præsentis Decreti exhibitionem ex Requisitione partis actoreæ jurevincens Illustris Magnifici Palatini terrarum Prussiæ tanquam Capitanei, sive eorum Officiales convocata per universales litteras suas eorundem Palatinatum Nobilitate, adhibitis etiam copijs militaribus ab Illustribus Magnificis Ducibus exercituum Regni requirendis, sub pænis contra negligentes Officiales sancitis, pœnas supra scriptas in Personis Bonisq; quibusvis & ubivis locorum existentibus tam communibus totius Civitatis Gedanensis, quàm particularibus quàm & proprietarijs Prænobiliū Burgrabij, Præsidis, Vicepræsidis Proconsulum, Consulium & omnium personarum trium Ordinum, nec non aliarum personarum superius specificatarum irremissibiliter exequi, & rigorem usq; ad plenariam satisfactionem Parti actoreæ extradere tenebuntur. Quam executionem sive traditionem Bonorum subsequendam nemo irritare aut modo quovis impugnare audeat sub liberâ Captivacione, ac alijs crumenalibus pœnis.

Si verò

Si verò Rebelles & in obediētes huic Decreto extiterint, & tunc five in Regno Poloniæ, five in Provincijs ejdem annexis, five in fluvijs, five in mari capi poterint, Personæq; omnium trium Ordinum, familias, eorum, Bona, merces uti Rebellium parti actoreæ sequestrare, & exeqi, eosdem uti infames coram quovis Judicio terrestri vel Castrensi aut Civili vel etiam sculteto Villano capite plectendos permittit, & declarat.

Inquisitiones autem sub Sygillo Judicij terrestris Lublinensis in occluso Rotulo Parti actoreæ extradendas declarat.

Ad extremum quantum spectat actus Magistratûs Gedanensis inverecunde & illicite usitatos non nulloq; in libris actorum quorumvis reperibiles Prærogativæ Nobilitari, functioni Deputatiçæ, Officiali Regio aulico sumopere nocivos intaminatum honorem & bonam famam Illustrium Magnificorum Wilczewskich conjugum lædentes, & ut eorum memoria in perpetuum oblitterata sit, cum fumo levissimo transeundos & perdendos Judicium declarat, decernendo, quatenus supra scriptæ citationes Gedanenses, Decretum Vicepræsidiæ, nec non Manifestationem coram actis civilibus Stumensibus cum læsione honoris contra Illustrem Magnificum Wilczewski circumscriptive factam cum usurpatione Jurisdictionis civilis super personis Nobilitaribus arroganter & impertinenter illatam per Ministrum Justitiæ præviâ acclamatione ministerialis ad sonum tubæ in quatuor angulis Prætorij Lublincnsis cõ burendas in instanti determinat.

Nihilominus Decretum præfatum Vicepræsidiæ & Manifestationem ex parte Magistratûs Gedanensis factam supra adnotatam ad primam requisitionem partis actoreæ five ejus Plenipotentis tam ex actis Gedanensibus, quàm Stumensibus in spatio doudecim septimanarum declarat eliminandas, idq; sub pœnis duodecim millium marcarum in casu non eliminationis in spatio duodecim septimanarum subsequētib; post expletum spatium in triduo coram actis Castrensibus Scharfzeviensibus. Publicanda eidem parti extrudere permisit.

*Valentinus Siennicki Venator
Terræ Bielscensis Notarius Ca-
strensis Branscensis, Judex De-
putatus Palatinatus Podlachicæ,
Officij Notariatus terrestris Lu-
blinensis locum pro tunc tenens.*



Correxit Rembieliński.

Legit Sarnecki.

Przylączając się tutaj *Constitutiones Terrarum Prussiae* Kon-
stytucjami Seymowemi Obwarowane, na których funda-
mencie ten Dekret stanął. Ze Szlachcica Miasta Pruskie
bez Urzędu Grodzkiego sądzić nie mają mocy, *sub pæ-
na Capitis: coż dopiero in functione* zostającego
Deputata.

imo.

Anno 1521. Vol: imo Pag: 396, & 397. Statuta quæ extant Comitij Thoru-
nensibus. Statuimus &c.

1526. Vol: imo Pag: 466. sub Tit: *Ordinatio Ducatus Prussiae Gedani.*

1527. Vol: imo Pag: 477. sub Tit: *quod attinet ad violentias.* Incipit, *si quis-*
piam Nobilis &c &c.

1538. Vol: imo Pag: 522, sub Titulo autem, *formula Thorunice Anno 1520.*
In hæc verba Incipit. *Quia Nobilis &c &c.* Statuimus & Ordina-
mus quod dum aliquis Nobilis in Civitate nostra pro Crimine *Violentiae*
per *Officium Civile* captus fuerit, extunc talis Nobilis detineri in *Præto-*
rio Civitatis debet &c &c: *Nullum tamen penitus Judicium faciet, nec*
aliquam pœnam exiget de eodem Nobili &c &c. Si vero contra *præmissa*
Officium Civile aliquid attentaverit, ex tunc per *Capitaneum nostrum Ca-*
sirensen Proconsul pro tempore existens, cum uno *Cunsule Capi,* *Decolla-*
ri, & *Capite* privari debent.

Eodem Anno Vol: imo Pag: 523. sub Titulo de *Judicio in Civitatibus.*

Anni 1538. Vol: imo Pag: 544. sub Titulo *Constitutiones Terrarum Prussiae*
Thorunij, a Sigismundo Rege Confirmata. Quæ incipit & ut sub *Pæ-*
na &c &c.

Anno 1633. Vol: 3tio Pag: 797, sub Titulo *O Sądach Seymowych y Za-*
dwornych Quæ incipit, *Zabiegając &c &c.* A że Miasta Statu-
tu *Thorunskiego* tak *abutuntur* że nie przy *Staroście* ani *Podsta-*
rościm *contra mentem Statutu Thorunskiego* wazą się *Szlachcica*
sądzić, a co większa *in Contumaciam Szlachtę* od *Czci* odsądzi-
czego ani *Statut Thorunski* ani *żadne Prawo* im niepozwo-
liło, takie naprzod *Dekreta* ferowane *kassuiemy y annihiluiemy,* a-
żeby to napotym nie było, *Authoritate Conventus præsentis* posta-
nowiamy *sub pœna Capitis* na tych którzy by się tego wazyli.

2do, Co się tycze *Deputata,*

Wiadomo każdemu iaka *securitas* *Posla Deputata Zony Dzieci y*
Sług Ich, wraz z *Senatorami* tylu *Konstytucjami* jest obwarowana.

3tio. *O Sługach Krolewskich.*

Constitutiones Civitati Gedanensi przez *Krola Sigismonda*
Augusta præscriptæ & Authoritate Comitiorum Var-
saviensium Confirmatæ:

1570. Pagina 812. Vul: 2do sub Titulo *De personis Exemptis* tak *Miastu*
Gdań-

Gdańskowi rozkazuje *Personas Peculari S. R. Mtis Privilegio de ejusdem certa scientia & uoluntate exemptas, præsertim eas quæ operas suas S. R. Mtis præstant, vel quouis cunque modo apud eandem in famulatu sunt, nemo in Civitatibus turbare ne dum in Criminalibus Cujuscunque Tituli Magistratus etiam Officij Burgrabiatus prætextu, Judicare demceps præsumat; sub Pænis in ejusdem exemptionibus & aliis in violatores protectionis Regiæ legibus constitutis. [Poffunt autem ratione Contractus,] nisi Nobilitatis Jure gaudeant &c.*

4to. De Foro na Trybunał.

Lubo Miałto Gdańsk broni się Konstytucyą 1611 mówiąc Mieszczanie *coram Magistratu, Magistratus autem coram Rege* sprawować się mają, dokłada iednak te słowa *exceptis ijs causis* które są Prawem opisane.

Jako to *Crimen Lesæ Majestatis*, popelniony przeciwko Senatorom, Posłom, Deputatom, na publicznych funkcjach zostaiącym, które *ex vi recentis Criminis in quouis foro* sądzone bydz mogą co wykłada Konstytucyą 1678. Vol: 5to fol: 556. sub Tit: *Evocatio extra For.*

Udaią się także do Konitytucyi 1633. *Aktor sequitur forum Rei.* Ale y ta Exepcią czyni *Causas Injuriam ac in Causis cædis & sanguinis.* A do tego niechay przyndą do wierszu 28. wteyże famey Konitytucyi która tak im zabrania Szlachcica sądzić, że nakazuje *sub prænā Capitis* iezeliby się ważyli bez Starosty albo Podstarościę sądzić.


Konstytucyą 1659. Vol: 4to Pag: 597. Także Mieszczanie wszyscy Mieszkaicy po Miałtach, Fortece mających. O wszelkie krzywdy, sprawować się powinni, o ktore im *forum* w Trybunale Koronnym *ex Cruda Citatione* powagą tego Seymu naznaczamy. Taz sama Konstytucyą, Konstytucyami późniejszyemi *in toto* jest Reassumowana.

Anno 1607. Vol: 2do Pagina 1612. Seymu Warszawskiego nakazał *positive* Miałtu Toruniowi, za wiolencyę uczynionę Szlacheckiey młodzieży u OO. Jezuitów w Szkołach będących, *Forum Trybunał* y tak mowi, a iezeliby się tego na potym ważyli tedy *Magistratus Civitatis cum ordinibus & Communitate, ex Officis* na Trybunale Koronnym, *inter Causas Officij peremptorie* odpowiadać, & *pæna de invasionibus Domus Nobilium sancita*, karani bydz mają.


Coż dopiero o Deputatach Konst: 1726. wyznaczyła *Registr Directi Mandati, Violata securitatis, Gravis excessus Recentis Criminis. &c.*

Niekaże wprawdzie Konst: 1673 Deputatowi w tym Trybunale w którym Deputatem iest nikogo ewokować ale mowi *Exceptis Causis Violentiarum in Persona Deputata* Małżonki, Dzieci, Sług y Dobr Jego &c.

Przywileje Krölewskie albo *Immunitates Civitatum* nie daley *exendere* się mogą tylko tak daleko iak Konstytucyę całej Rzeczypospolitey im obwarowały. Ponieważ wszystkie Przywilege Krölewskie co się ty-cze Statum, z Kröłami absolutnemi ustały, y bez approbacyi całej Rzeczypospolitey waloru żadnego mieć nie mogą.



ie-
no-
ace
aby
eli-
ie,
ow,
ch:
ych
ktò-
onal-



Biblioteka Jagiellońska



stdr0024299

ES 17
BIBLIOTHÈQUE
DE M^{RS} LE ET
ALEXANDRE
LECOMTE